Sarpedon, ubi tot Simois correpta sub undis
scuta virum galeasque et fortia corpora volvit?'
Talia iactanti stridens aquilone procella
velum adversa ferit fluctusque ad sidera tollit.
franguntur remi, tum prora avertit et undis
dat latus, insequitur cumulo praeruptus aquae mons.
hi summo in fluctu pendent, his unda dehiscens
terram inter fluctus aperit, furit aestus harenis.
tris Notus abreptas in saxa latentia torquet —
saxa vocant Itali mediis quae in fluctibus aras,
dorsum inmane mari summo — tris Eurus ab alto
in brevia et syrtis urget (miserabile visu)
inliditque vadis atque aggere cingit harenae.
unam, quae Lycios fidumque vehebat Oronten,
ipsius ante oculos ingens a vertice pontus
in puppim ferit: excutitur pronusque magister
volvitur in caput; ast illam ter fluctus ibidem
torquet agens circum, et rapidus vorat aequore vortex
adparent rari nantes in gurgite vasto,
arma virum tabulaeque et Troïa gaza per undas.
iam validam Ilionei navem, iam fortis Achati,
et qua vectus Abas et qua grandaevos Aletes,
vicit hiems: laxis laterum compagibus omnes
accipiunt inimicum imbrem rimisque fatiscunt.
Interea magno misceri murmure pontum
emissamque hiemem sensit Neptunus et imis
stagna refusa vadis graviter commotus, et alto
prospiciens summa placidum caput extulit unda.
disiectam Aeneae toto videt aequore classem,
fluctibus oppressos Troas caelique ruina,
nec latuere doli fratrem Iunonis et irae.
Eurum ad se Zephyrumque vocat, dehinc talia fatur:
'tantane vos generis tenuit fiducia vestri?
iam caelum terramque meo sine numine venti
miscere et tantas audetis tollere moles?
quos ego — sed motos praestat componere fluctus;
post mihi non simili poena commissa luetis.

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id413019152/10 UNIVERSITÄT LEIPZIG